

Quae vero praedicata huc referuntur, quemadmodum Combricensis optime declarant, " quaedam sunt pure Metaphysica, id est, quorum nulla pars subiecta ab alio artifice per se tractatur, ut intelligentiae: alia non pure Metaphysica, qualia sunt quae in aliquibus inferioribus materia implicantur, in quibusdam non, ut substantia, bonum, unum, aliaque id genus. Porro autem universa haec in primae Philosophiae tribunali reipsa abiuncta a materia censentur, non eodem modo: sed priora, quia nullam prorsus habent cum materia coniunctionem: posteriora, quia et illam in suo conceptu non includunt, et secundum se spectata indifferentiam habent, ut reipsa extra eam reperiantur. Quam abstractionem D. Thomas (6. *Metaph.* c. 1.), alique nonnulli, ex Avicenna 1. suae *Metaph.* c. 2. vocant *abstractionem secundum indifferentiam* . . . . Quod vero ad alia summa genera attinet quae neque simpliciter, neque secundum indifferentiam a materia separata sunt, ea non absolute, sed quoad *divisivam cognitionem* duntaxat, ad Metaphysicam spectant, quatenus ad eam pertinet ens in suas partes generatim distribuere. Quo fit, ut quia in ea partitione eiusmodi genera occurrunt, de illis illidem cognoscat, quatenus ea ad ens amplitudinem percipiendam requirit, quae cognitio imperfecta est et quasi perfunctoria. Eodem pacto considerat etiam primus Philosophus materiam, quia in eam incidit, dum ens in actum et potentiam, cuius praecipuum significatum materia est, disperditur. Itaque ea, quae nulla ex parte extra materiam

peculiare aliquid argumentum respicerent circa huius mundi adspectabilis naturam ac sensibilia phaenomena; quae superfuerunt, in duodecim (al. quatuordecim) libros partiti sunt, eaque de quibus ipsi tractant *ta perz ta qoraz* appellantur, quia videlicet doctrinam exhibent, quae *physica succedit*. At sive data opera sive fortuito contigit, ut tale nomen apprime responderet obiecto, de quo in supradictis libris tractatur. In his enim universales notiones exhibentur, quae sensum istiusque obiectum plane transcendunt, ratione nempe immaterialitatis, qua naturam corpoream excedunt. Hinc scientia de rebus immaterialibus *metaphysicae* nomen proprium sibi efficit.

cohaerent, non nisi obiter et quasi ex accidente tractat Metaphysicus, nisi forte prout ei, ut communi omnium artificum praesidi ex officio incumbit, scientiarum republicam constituere, ac tueri, et unicuique disciplinae propriam, ac peculiarem materiam, in qua insistat, designare. Hac enim ratione, pro suo iure, et dignitate, extra metas proprii obiecti formalis liberius excurrit. (1. *Physic.* Proem. q. 1. a. 5.) Ex qua egregia observatione perspicuum fit, proprium Physicae obiectum multo latius se extendere, quam post Cartesii tempora tractari coeptum est. Cum enim Physica in consideratione *naturae*, seu corporeae substantiae, tanquam in propria materia versetur, pertinet utique ad ipsam (et in hoc fateri oportet recentiores multum admodum prae veteribus excellere), tractare ea quae inductione sensili de corporum proprietatibus cognoscuntur, quaeque obiectum *Physicae experimentalis* constituunt; spectat etiam ad ipsam generalia principia matheseos ad praedictas proprietates applicare, quod praestat *Physica mathematica*: sed his minime absolvitur propria Physicae contemplatio. Praeprimis enim ipsamet *natura* intima, unde tales proprietates emergunt, considerata est sive in se sive in suis causis: quae consideratio optime *Physica rationalis* dici potest, cum ad hoc, supposita sensili experientia, principia rationalia maxime usui esse debeant. Ceterum, cum haec suprema et nobilissima Physicae pars ad Metaphysicae confinia proxime accedat, hinc a non paucis auctoribus inter istius partes communerari consuevit.

## SECTIO V.

### *Quo nexu primariae disciplinae mutuo devincuntur.*

408. **Scientiarum subalternatio.** — Una scientia dicitur alteri subalternari vel sub ea ordinari, cum ab ea

in suo esse dependet. Haec porro subiectio late et stricte accipi potest. Ad latiore subiectionem concipiendam sufficit quivis influxus et regimen unius scientiae in aliam. Proprie autem et in rigore illa scientia dicitur alteri subalternari, quae necessario ex ipsa natura rei ab ea pendet in esse scientiae, sic videlicet ut esse scientia non possit, nisi scientiae subalternanti coniungatur, et ab illa sumat evidentiam principiorum. Quocirca scientia subalternata non habet principia per se nota et immediata, sed tamquam principia sumit conclusiones demonstrabiles in scientia superiori: et ideo sicut omnis scientia ab habitu principiorum dependet necessario et per se, ita scientia subalternata a subalternante, a qua accipit evidentiam principiorum. Hinc etiam habetur ulterius, ut subalternatio proprii nominis non existat, nisi inter scientias diversas. Quamvis enim in una eademque scientia sit dependentia unius conclusionis ab altera usque ad principia, ac propterea vere dici possit una conclusio subalternata demonstrationi alterius, tota tamen scientia non ab altera sumit evidentiam, sed immediate continuatur cum habitu primorum principiorum. Oritur autem haec subalternatio ex subordinatione obiectorum, nimirum propterea quia obiectum unius est idem cum obiecto alterius *aduneta aliqua differentia accidentali*, quae etsi in esse entis est per accidens, in esse tamen scibilis sit aliquo modo per se, ut quae constituat speciale obiectum scibile. Optime in hanc rem Suarez, " Quando duo obiecta scientiae per se subordinantur, etiam in esse rei, scilicet ut genus et species, vel ut superius et inferius essentialiter, scientiae de illis obiectis non possunt esse subalternatae, saltem totaliter, quia vel pertinent ad eandem scientiam, si in eadem omnino sint abstractione, vel certe si scientiae diversae sint erit utraque subalternans, quia utraque habere potest propria principia sumpta ex propria differentia obiecti, quod considerat, vel ex prima passione, et per illa poterit demonstrare reliquas conclusiones, quae de posterioribus passionibus conficiantur. Nam scientia de homine non considerat, quae conveniunt homini, ut ani-

mal est, sed tantum ut rationalis est, et in illis non subalternatur scientiae de animali, quia esse rationale immediate convenit homini, et ex hoc principio oriuntur aliae passiones hominis, ut homo est. Quod si aliqua est, quae pendet ex gradu sensitivo ut sic aliquo modo, aut ex speciali conjunctione sensibilis cum rationali, quantum ad id subalternabitur partialiter scientia de homine scientiae de animali, non tamen omnino et totaliter. Ad subalternationem ergo absolutam et totalem, necesse est ut subiectum subalternatae scientiae addat accidentalem differentiam subiecto scientiae subalternantis, ut linea visualis addit lineae, numerus sonorus numero, humanum corpus sanabile humano corpori: nam ex hac conjunctione provenit, tum ut scientia, quae specialiter considerat proprietates ex illo coniuncto ut sic manantes, sit diversa a scientia, quae abstrahit ab illa compositione, et subiectum secundum se considerat; tum etiam ut principia talis scientiae sint conclusiones superioris scientiae, quia nimirum proprietates talis compositi oriuntur ex ipsis componentibus, et ex proprietatibus, quae secundum se habent, et in superiori scientia demonstrantur. " (*Metaph. D. 1. sect. 5. n. 49. 50.*) Cf. etiam Conimbricenses (*1. Poster. c. 8. q. 2. a. 1.*).

#### THESIS XXIV.

*E quinque primariis scientiis nulla est quae proprie alteri subalternetur. Quod si agatur de subordinatione latius dicta, scientia cui ceterae subsint potest haberi, sub diversa ratione, tum Moralis, tum Logica, tum Metaphysica.*

409. **Probatio I. partis.** — Ad subalternationem enim, stricte et severe acceptam, opus est, ut scientia inferior non utatur principiis immediatis et per se notis,

sed principis nitatur, quae sint conclusiones in superiori scientia demonstratis. Atqui id minime contingit in quinque primariis disciplinis, ut patet singularum inductione. Nec refert, quod scientia Moralis plura praesupponat ad naturam sive Dei sive hominis spectantia, ut iura et officia demonstret, quae inde exoriuntur. Cognitio enim speculativa istorum, quae necessaria est scientiae Morali ad suas conclusiones practicas stabilendas, non necessario derivanda est ex disciplina Metaphysica, sed satis esse potest ea, quae ex communi naturae sensu omnes frumitur. Communis autem naturae sensus non est habitus distinctus ab habitu principiorum, ac propterea conclusiones practicae, quae in scientia Morali traduntur, non desinunt immediatam continuationem habere cum tali habitu: id vero minime convenit scientiae propriae et in rigore alteri subalternatae. Nec etiam obstat, quod principia omnium aliarum scientiarum proprio iure contineantur etiam intra limites obiecti Primae Philosophiae seu Metaphysicae. Ut enim observat Suarez, "Licet Metaphysica demonstrare possit aliquo modo illa principia, illa tamen demonstratio non est simpliciter necessaria ad iudicium evidens talium principiorum, cum ex terminis possint evidenter cognosci, et illa demonstratio non sit propria a priori, sed per deductionem ad impossibile, vel ad summum per aliquam extrinsecam causam. Metaphysica ergo non est simpliciter necessaria ad evidentiam horum principiorum: ergo neque ut habitus ex eis genitus sit vera scientia: ergo talis habitus non est scientia subalternata Metaphysicae." (*Metaph.* D. 1. sect. 5. n. 51.)

410. *Probatio II. partis.* — Hoc ut intelligatur observa, comparisonem unius scientiae cum altera dupliciter institui posse. Primo ita, ut ipsarum obiecta invicem comparentur; et haec potissima comparatio est, quippe cum scientia tota sit in ordine ad suum obiectum. Secundo ita, ut obiectum unius scientiae comparetur cum actu sive usu alterius. Utroque modo hanc comparisonem instituit S. Thomas intellectum inter et voluntatem (*Summa th.* 1. p. q. 82. a. 4. ad. 1.), quo utriusque po-

tentiae mutus nexus et dependentia declaretur. Iam age, pro duplici hoc comparationis modo, haec eluceat.

I. Si considerentur obiecta propria, quae respiciuntur a quinque primariis disciplinis, manifestum est, obiectum Metaphysicae praestantissimum esse in ratione scibilis, et obiecta ceterarum disciplinarum longe antecellere. Nam obiectum huius disciplinae est ens immateriale, praesive sumptum vel positive: obiectum autem quo magis a materia recedit, eo altius est et mentis consideratione dignius. Praeterea id, in cuius contemplatione Metaphysica potissimum immoratur, est Deus ipse, qui profecto supremum est obiectorum mentis, et causa absolute prima omnium aliorum. Cum autem secundum ordinem obiectorum sit ordo scientiarum, consequitur inde Metaphysicam optimo iure inter scientias omnes naturales primum tenere, atque iis quasi reginam dominari. Principia enim Metaphysicae, utpote universalissima omnium fundamentum sunt principis ceterarum scientiarum [396, nota]; notio praeterea Dei, quam Metaphysica suppeditat necessaria est ad illustrandas et perficiendas notiones omnium aliarum scientiarum. Hinc recte appellata est *Philosophia Prima*, ac *sapientiae* nomen, tametsi toti Philosophiae sit commune, solius Metaphysicae quasi proprium habetur. Lege Suarez (*Metaph.* D. 1. sect. 5. per totam).

II. Ad alteram comparisonem quod attinet, qua nimirum exercitium sive usus unius scientiae cum obiecto alterius comparatur, notandum est, cuiusque scientiae usum seu exercitium fieri per actus vitales et immateriales, qui subduntur imperio voluntatis ad bonum tendentis, et suapte natura ordinantur ad verum consequendum et demonstrandum. Quatenus hi actus sunt vitales et immateriales continentur sub Metaphysicae obiecto: quatenus vero ad bonum ex voluntatis imperio, vel ad verum suapte natura diriguntur, pertinent et ipsi ad Moralis vel Logicae considerationem, quarum prior ad recte volendum, altera ad veraciter intelligendum normas praescribit.

Dices. Ergo actus Logicae et ipse continetur sub obiecto Logicae, et sic de ceteris disciplinis enumeratis.

Respondeo, *concedendo illationem*. Neque id mirum cuique videri debet. Quemadmodum enim actus intellectus continetur sub obiecto intellectus, et actus voluntatis sub obiecto eiusdem; sunt enim facultates immateriales, ac propterea reflexivae supra seipsas: ita actus proprius unius disciplinae rationalis potest contineri intra limites obiecti ipsius. Hinc scientiae omnes dependent a Logica quidem, ut recte et ordinate discurrant; a Morali autem, ne a recto morum tramite in eandem usu voluntas declinet; a Metaphysica denique tum in suis principiis, ut dictum est, tum etiam ut mens, non solum scientiam adipiscatur, sed penitus cognoscat etiam naturam intimam actuum, quibus scientia constat, et causarum unde hi actus proficiuntur, ex quorum immaterialitate dependet certitudo omnis ac immobilitas quae in cognitione invenitur.

## SECTIO VI.

### *De methodo scientiarum generalim.*

411. **Quid methodus.** — Cum ante egerimus de scientiarum natura et coordinatione, recta doctrinae consensio postulat, ut de methodo etiam agamus in scientiarum adeptione observanda. Id namque exigit tum scientiae acquirendae arduitas, tum humanae mentis infirmitas. Ut enim scientiam nobis comparemus, opus est longo ac saepe saepius complexo et intricato experimentorum, iudiciorumque processu. Aliunde vero satis constat, humanam mentem adeo esse infirmam, ut nisi ipsi ordo modusque procedendi exhibeatur, et via quam sequi debet ostendatur, facile contingat quod a recto veritatis tramite deflectat. Hunc porro procedendi modum, hunc ordinem,

hanc viam *methodus* suppeditabit. Methodus enim attenta vocis etymologia,  $\mu\epsilon\tau\alpha$  *cum*,  $\epsilon\tilde{\nu}\tilde{\nu}\tilde{\nu}$  *via*, idem dicitur ac *cum via* seu *cum ratione*, ac propterea merito definitur: *Ordo, quem mens servare debet in suis operationibus, ut veritatem inveniat, et scientiam sibi comparet*. De hac re, etsi multa in praecedentibus dicta sunt, speciatim agendum tum in hac tum in duabus sequentibus sectionibus.

412. **Methodus analytica et synthetica.** — Methodus porro, generalim inspecta, duas quasi species complectitur. Altera *analytica*, altera vero *synthetica* nuncupatur. Duplici enim via mens in dati alicuius obiecti consideratione insistere potest. Primo enim incipere potest a consideratione confusa illius obiecti, quod per modum alicuius totius seu compositi primitus ipsi exhibetur, quin habeat propriam notitiam partium seu elementorum, quibus constat, et postea illud resolvendo ad has partes vel elementa consideranda gradatim accedere, donec ad ultima non ulterius resolubilia deveniat. E converso poterit secundo mens a simplicissimis obiecti partibus et elementis considerandis initium sumere, et ab iis ad magis composita per quosdam veluti gradus procedere, donec obiectum totum cognitione complectatur. In priori casu mens resolvit, in posteriori componit: in illo *analysis*, in isto *synthesis* locum habet. Atque ut exemplis res manifestetur, analysim exeres, quoties a notionibus particularibus ad universales ascendis, quemadmodum contingit in inductione qua ex singularibus sufficienter enumeratis veritas universalis colligitur [182]: item, quando totum integrale vel potentiale in suas partes distribuis [87]: similiter in mutationibus algebraicis, quibus quandoque formulae minus late patentes in generaliores vertuntur. Contra, synthetica methodo uteris cum axiomata singularibus vel particularibus obiectis applicas, aut effectum ex causis demonstras (1): vel cum totum universale adiectione dif-

(1) Processus causae ad effectum syntheticus, processus vero ab effectu ad causam iure merito est et nuncupatur analyticus. Nam

ferentiarum in sua inferiora dividis: vel denique cum diversas notiones, quas scientia complectitur, colligis earumque mutuum nexum contemplaris, ut ad caput unum revocetur ex quo reliqua dimanant.

413. **Ratiocinatio quo pacto ad alterutram methodum modo declaratam revocetur.** — Ex dictis manifestum est ratiocinium omne, si expositorium excipis, ad syntheticos mentis processus revocari posse. In eo enim, ut suo loco declaravimus [162...], semper peculiaris aliqua veritas ex universali deducitur. Ceterum, attento fonte unde medium desumitur, quandoque ad analysim, quandoque vero ad synthesim revocatur. Potest enim medius terminus accipi vel ex consideratione subiecti vel ex consideratione praedicati conclusionis: quod in orali expressione dignoscitur ex dispositione praemissarum, prout videlicet assumptio praecedit propositionem vel subsequitur. Si primum, methodus erit analytica: sin alterum, methodus erit synthetica. Ratio est, quia subiectum exprimit obiectum secundum significatum materiale, i. e. prout est a parte rei: praedicatum vero idem obiectum exprimit, secundum significatum formale, i. e. sub speciali aliqua ratione, qua hic et nunc ab intellectu concipitur et per conceptum exprimitur. Quare praedicatum, comparate ad subiectum, se habet ut universale ad particulare, ut pars ad totum, ut simplex ad compositum, et (si quando partem essentialem exprimit), ut causa intrinseca ad effectum. Atqui, ut supra dictum est, processus omnis a parte ad totum, a superiori ad inferius, a causa ad effectum, est synthesis: processus vero inversus est analysis.

---

causa, si intrinseca est, materialis videlicet vel formalis, se habet ad effectum ut pars ad totum: sin autem extrinseca sit, ex. gr. efficiens, suo effectui universalior est et simplicior; item ad effectum comparatur per modum partis, nam esse *causatum* et *a tali causa* procedere una est ex notis seu partibus notionis effectus.

THESIS XXV.

*Ad scientiae acquisitionem tum analysis tum synthesis est plane necessaria: prior tamen ad invenendum, altera ad docendum, ut plurimum erit opportunior.*

414. **Probatio I. partis.** — Ratio primae partis triplex esse potest, inspecta videlicet natura scientiae, quae sit proprie eiusmodi; methodi, quae ad eam acquirendam sit vere idonea; et humanae mentis, cuius indoli et conditioni utraque attemperari debet. Et re quidem vera

I. Scientia veri nominis vel est, vel saltem huc spectare debet, ut sit cognitio rei per propriam causam. Duo proinde suppeditare debet, nempe ut cognoscamus rei causam, nec non connexionem rei cum sua causa, et modum quo ab ea procedit. Iam vero ope analysis a cognitione effectus ad causae cognitionem assurgimus: per synthesim contra a causa iam cognita ad effectum regredimur. Quare iure merito quemadmodum analysis scientiae initium, ita synthesis scientiae complementum reputatur: illa nempe materiam praebet, unde scientia formari potest; haec vero illam perficit et absolvit. Cf. quae supra declaravimus [388], item quae Doctor Angelicus habet (Opusc. super Boëth. *De Trin.* q. 1. a. 2.).

II. Methodus scientiae comparandae opportuna cognitionem suppeditare debet quae sit realitatis expressiva, quaeque propterea perfecte, quoad fieri potest, ordini reali respondeat. Atqui in ordine reali elucet varietas in entium multitudine, unitas vero in relationibus, quibus haec entia invicem, et speciatim cum suis causis coniunguntur: immo ex utriusque coniunctione, varietatis videlicet et unitatis, tota huius adspectabilis universi pulchritudo consurgit. Ergo methodus scientiae comparandae vere idonea ad utriusque contemplationem et cognitio-

nem perducere debet. Porro ad varietatem analysis, ad unitatem vero internoscendam requiritur synthesis.

III. Mens humana, svaapte natura, non uno intuitu veritatem capit, sed pedetentim, ob debilitatem videlicet luminis intellectualis quo fruitur. Non potest proinde plenam notitiam rei adipisci, quin illam in plura distinguat: quod praestat analysis. Haec vero sic disiecta profecto manere non possunt, sed in unum corpus colligi debent, ne turba quaedam sine ordine habeatur: quod certe ad synthesis spectat. Accedit, quod ut supra notavimus cum Suarez [397], principia nedum experimentalia, sed etiam rationalia, ob naturam humanae mentis infirmitatem, inductione opus habent, ut rite intelligantur et firmus assensus eis adhibeatur. Atqui inductio processus est analyticus. Principia vero haec semel habita, ope synthesis conclusionibus, quae inde derivantur, applicari debent.

415. *Probatio II. partis.* — Patet ex propria ratione utriusque methodi. Nam

I. Qui primum veritatem novam detegere conatur, plane requiritur, ut rem explicet per causam non arbitrariam et hypotheticam, sed veram et realem. Id autem multo certius et tutius obtinetur ope analysis, si videlicet ab individuorum et concretorum contemplatione examen inchoetur. Sic enim id ipsum, quod explicari debet, semper prae oculis habetur, neque mens ad aliena divertit, quae rei explicandae minime conducunt. Contra, si quis in veritate inveniendae synthetice velit procedere, saepe saepius non nisi casu quodam fortuito eam deprehendit. Si enim ab universali vel a partibus contemplandis initium sumatur, bene poterit contingere, ut genus quoddam arbitrariae determinetur, quod minime contineat speciem vel subiectum, de quo est quaestio atque ita in considerando operam perdet. Sic v. g., si quis ad probandum, quod *sanitas est expetenda*, a praedicati, quod generalius est, consideratione proficisceretur, multa profecto inveniet expetenda, quin aliquid pro solutione suae quaestionis vel affirmative vel negative concluderet. Sic expetenda certe est virtus: sed sanitas nec sub genere virtutis nec sub

genere vitii continetur, quippe est aliquid per se indifferens, quod tam pro virtute quam pro vitio inservire potest, prout quis bene vel male ea utitur. Similiter si quis ad vitam, puta plantarum, explicandam a phaenomenis physicis et chemicis, (quae sicut in tota natura corporea, ita etiam in vegetalibus elucet), considerandis exordium duceret, eaque non in complexu totius oeconomiae vegetationis, prout experientia nobis manifestantur, sed seorsum et quasi a priori contempleretur, is facile adduci poterit, ut per modum cuiusdam principii adstruat, vitam ex viribus chemicis vel physicis esse repetendam, atque adeo numquam ad vitae phaenomena rite explicanda perveniret. Processus itaque, veritati inveniendae per se idoneus, analyticus sit oportet.

II. Quod si veritas eiusdemque demonstratio iam teneatur, et de ea cum aliis communicanda dumtaxat agatur, synthesis plerumque opportunior invenietur. Cum enim a notionibus simplicioribus et universalioribus initium sumat, omnium suarum deductionum seriem, uno veluti obtutu, iam ab ipsis initiis contemplandum offert. Praeterea si haec methodus eligatur, inde initium sumitur, quod primum est in ordine rerum et rationem continet ceterorum: elementa enim simpliciora se habent veluti causae ex quibus totum existit. Quare mens discipuli habet in praecedentibus rationem eorum, quae sequuntur. Ex quo denique etiam efficitur ut facilius et evidentiis tota veritatum series percipiatur, retineatur, et, quando opus fuerit, aliis communicetur. Neque timendum est periculum, quod paulo ante notavimus. Qui enim veritates alios est docturus, iam eas cognoscit, modumque quo ad eas patefaciendas perveniri debet, ac propterea iam viam perspectam habet, qua incedendum est, quin deeret.

416. *Corollarium.* — Cum methodus spectari possit tum in singulis quaestionibus, quae ad scientiam aliquam totalem (puta Metaphysicam, Mathesim, etc.) referuntur, tum in earumdem ordinatione et structura, qua in unum quasi corpus coalescunt, et in utrisque

locum habeant ea quae huc usque disseruimus, ut consideranti patet; nihilominus in docendo haud raro praestat, ut peculiare quaestiones analyticè proponantur. Sunt enim nonnulla, in Metaphysica praesertim vel Mathesi, quae facile et ordinate per analysim tractari possunt, et sic tractatae magis discipulorum animos percellunt et maiorem delectationem afferunt. Qua in re magistri sagacitas et prudentia elucere debet, ut singula tractentur prout cuique magis confert tum ratione ordinis tum ratione perspicuitatis. Luculentissimum exemplum et quasi typus prostat in Summa theologica Doctoris Angelici.

## SECTIO VII.

### *De dubitatione methodica.*

417. *Quid hoc nomine veniat.* — Quid proprie sit *dubitare* suo loco exposuimus [220]. Plerumque vero fit, ut nonnulla dubitative seu per modum quaestionis sive nobis sive aliis proponamus, tametsi nulla ne suspicio quidem de opposito suboriat, sed ea in certissimorum numero retineamus. Hac ratione theologus quaestionem movet etiam de iis, quae catholica fide credit. Sic etiam philosophus, ut in his etiam institutionibus videri potest. Istiusmodi inquirendi modus, quo de eo, quod certum habemus, sic quaerimus, quasi incertum seu dubium sit, *dubitatio methodica* dicitur, ut a vera seu reali dubitatione secerentur. Est porro utilis atque adeo necessaria ad veritatem sive confirmandam vel illustrandam sive etiam inveniendam, modo rite adhibeatur et intra debitos limites contineatur. Hoc qua ratione fiat in praesenti inquirimus.

418. *Dubitatio methodica Cartesiana.* — Renatus Cartesius, cum vellet omnium scientiarum fundamenta in aliquo inconcusso principio extruere, quasi id neququam

fecissent praeclarissimi viri, qui ipsum antecesserunt, praedictam dubitandi methodum hoc modo exogitavit et proposuit (*Princip. Philos.* 1. p. init., item 1. et 2. *Medit.*).

I. In dubium revocare oportet, quae testimonio sensuum innituntur, tum quia saepe nos in errorem duxerunt, tum quia, quando in somniis versamur, intime persenscimus, et eodem plane modo, ac si praesentia essent, quae nobis vigilantibus per sensus accepimus. Dubitare etiam oportet de iis, quae intelligentia et ratio suppeditat, etsi mathematica evidèntia fulgent. Sunt enim qui etiam in rebus huiusmodi errarunt; praeterea Deus eam potuit naturam nobis tribuere, quae semper decipiat, vel saltem nescimus, num maligno aliquo genio illudamur.

II. Relinquitur itaque ut certa non maneat nisi ipsa nostra dubitatio, ut quae sive affirmetur vel negetur, sive in dubium revocetur, eo ipso certa manet et inconcussa. Nec timendum, ne etiam hac in re a maligno illo genio decipiamur. Si enim decipimur, eo ipso cogitamus, ac propterea existimus. Est propterea certissimum omnino hoc effatum, *Cogito, ergo sum*. Cum vero hanc omnimodam certitudinem tale effatum nanciscatur, quia idea *clara admodum et distincta* continetur, hinc huiusemodi idea tanquam supremum veri criterium haberi potest et debet (1).

III. Hic tamen redeunt anxietates in Cartesii animum, num videlicet in hoc etiam fallatur. Ut autem inde se liberet, nihil aliud occurrit, nisi ut ante omnia constabi-

(1) \* Je suis assuré, que je suis une chose, qui pense, mais ne sais-je donc aussi ce, qui est requis pour me rendre certain de quelque chose? certes dans cette première connaissance il n'y a rien qui m'assure de sa vérité, que la claire et distincte perception de ce que je dis, laquelle de vrais ne serait pas suffisante pour m'assurer, que ce que je dis est vrai, s'il pouvait jamais arriver qu'une chose, que je concevais aussi clairement et distinctement se trouvât fautive: et pourtant il me semble, que déjà je puis établir pour règle générale que toutes les choses, que nous concevons fort clairement et fort distinctement sont toutes vraies. ( *Med.* 3. n. 2.)

liatur Dei existentia et veracitas (1). Cum enim Deus sit ens perfectissimum, nostraeque intelligentiae auctor, aperte consequitur, ut huius dictamina non ad errorem sed ad veritatem nos adducant. Probat itaque Dei existentiam eiusque infinitam perfectionem tum a posteriori, seu causalitatis argumento, tum a priori seu a simultaneo, ut dici solet.

IV. Stabilita notione et existentia Dei summe perfecti ac proinde summe veracis, redditur tandem veracitas nostris facultatibus, eaque firma et inconcussa manet, et ex his duobus educi possunt tum existentia corporum, tum aliae praeceipuae veritates. Solummodo cauti esse debemus, ne ideis obscuris et confusis utamur eas permiscendo cum ideis claris et distinctis.

Haec est summa Cartesianae methodi, qua philosophandi initium constituitur ut omnis alia certitudo et evidentia inde exoriatur. Quid vero hac de re, et de tota praesenti quaestione sentiendum, sequens thesis aperiet.

THESIS XXVI.

*Dubitatio methodica, prout a Cartesio proponitur, probari non potest. Quod si rite intelligatur, legitima est sive respectu conclusionum, quae demonstrari debent, aut possunt, sive etiam respectu primorum principiorum indemonstrabilium, si de ipsis non veri nominis demonstratio, sed scientifica dumtaxat explicatio seu dilucidatio quaeratur.*

419. *Probatio I. partis.* — Id patet in primis, si consideretur magna exaggeratio quae generatim in toto

(1) \* Car sans la connaissance de ces deux vérités, qu'il y a un Dieu et qu'il ne peut être trompé, je ne vois pas, que je puisse jamais être certain d'aucune chose. (Ibid. n. 54.)

hoc systemate apparet respectu evidentiae, quae postulatutur tamquam norma totius scientificae certitudinis. Certe, si non satisfacit evidentia nec physica nec illa etiam quae habetur in primis principis rationalibus, puta in effato contradictionis vel exclusi medi, cuiusmodi profecto evidentia erit quae satisfaciet aliquando? Quare iure merito plures notarunt periculum idealismi quod hac methodo creatur. Apposite De Lehen. \* Nam exclusa semel, tamquam inani, sensus communis persuasione de obiectiva realitate mundi, et posito, quod talis realitas demonstratione indigeat; cum demonstrationes a Cartesio allatae, vel propter circulum vitiosum quem involvunt, vel aliis de causis, pluribus non satisfacerent, philosophi novas certatim excogitaverunt haud meliori successu. Unde, vitio demonstrationum in rem demonstrandam resilienté, illi qui rationi magis quam sensibus adhaerere gloria-bantur, rem ipsam in dubium reale verterunt. Hinc praestantissimus Cartesii discipulus Malebranche corporum existentiam non nisi per revelationem et per fidem admisit. Berkeley ipsam prorsus negavit. Tandem Kantius et post ipsum plerique germani philosophi omnem realitatem obiectivam negarunt, eo quod Cartesii vestigia prementes, illa voluerint ratiocinatione fundamenta scrutari, quae simpliciter erant ex sensu communi admittenda. Hinc natum est illud *problema logicum*, de certitudine et realitate obiectiva, in quo solvendo huius seculi philosophi incassum desudant, quin ullus possit ceteris satisfacere: sed contra, ut singulos legenti patet, unusquisque praecedenti exprobat, ipsum novas scepticismo addidisse vires, certitudinem inepte demonstrando. (Logica, n. 567.)

Merito praeterea reicitur haec philosophandi methodus, quia secum ipsa minime cohaeret, quod certe, etiamsi quis hypothetice loquatur, caveri summopere debet. Et re quidem vera

I. Veracitas omnium et singularum cognoscendi facultatum eodem plane fundamento innitur, quippe omnes aequae a natura ad proprium obiectum rite attingendum per se ordinantur. Quare sine contradictione supponi non



potest, unam aut alteram per se esse fallacem, quin tale vitium ceteris similiter attribuat. Atqui in processu, quem Cartesius inducit, dum de ceteris facultatibus dubitatur conscientiae tamen testimonio confiditur. Confer quae supra diximus [273].

II. Decantatum illud principium *Cogito, ergo sum*, vel accipitur per modum enthymematis; vel ut propositio quaedam simplex et immediata, qua nempe affirmatur propria existentia ut a praesenti cogitatione modificata, qua nobis manifestatur; vel denique tamquam experimentalis perceptio, quae statuit simpliciter factum cognitionis, h. e. sensum purum cogitationis et existentiae propriae. Primo modo si accipiatur, manifesta est *petitio principii*, quippe consequens expresse et directe continetur in antecedenti. Secundo modo intellectum supponit tamquam certum et indubium saltem principium contradictionis. Quod si denique tamquam simplex experientia propriae cogitationis et existentiae sumatur, non est eiusmodi ut per modum fundamenti totius certitudinis adstrui queat; ex puro enim ordine subjectivo ad obiectivum nonnisi inepte fit gradus.

III. Denique nemo non videt manifestum circulum vitiosum, in quem incidit Cartesiana methodus. Demonstrat enim Dei existentiam ex pluribus principiis, nominatim vero ex illa generali regula; *Id verum est, quod clare et distincte percipio*; ad huiusmodi praeterea demonstrationem conficiendam tamquam indubiam supponit et supponere debet naturalem intelligendi et ratiocinandi vim. Istorum autem omnium firmitas ex Dei rursus veracitate repetitur. Quare nihil mirum, qua ratione in hac methodo semina Ontologismi reperiantur, systematis videlicet *intuitionis Dei immediae*. Cum enim manifestum dialecticae vitium in tali processu eluceat, ut a tali labe purgetur, nihil magis conferre potest, nisi ut Dei existentia et veracitas tamquam pronuntiatum quoddam indemonstrabile et per se notum postuletur. Atqui huius systematis fautores, ac nominatim Malebranchius Cartesii discipulus fidelissimus, in hoc plane consentiunt, ut Dei

existentiam tamquam principium primum stabiliunt, non solum in ordine ontologico, sed etiam in ordine logico nostrarum cognitionum, sine quo nihil certo cognoscere possumus.

420. *Probatio II. partis.* — Facile intelligitur ex iis, quae dicta sunt.

Ac primo quidem manifesta est, si de conclusionibus agatur, quae demonstrationem proprie dictam requirunt vel capere possunt. Nihil enim prohibet, quominus de his, quae simplici fide creduntur, scientia etiam quaeratur ope demonstrationis acquisita. Id vero non fit, nisi in quaestionem adducantur, quasi dubia essent, licet revera eiusmodi non sint, nisi videlicet *dubitatio methodica* iis applicetur. Adhibetur etiam haec dubitatio utiliter respectu eorum, quae demonstrata quidem sunt, imperfecte tamen seu demonstratione *quia*, ut perfecta scientia de iisdem habeatur, quae videlicet demonstratione *a priori* et *propter quid* in mente generetur.

Quod si sermo sit de primis intelligentiae principiis, quae demonstrationem omnem veri nominis respuunt, possunt etiam in quaestionem adduci, non quidem ut proprie demonstrantur, (id enim esset plane scepticum), sed ut certitudo vulgaris et directa, quae de ipsis habetur, in philosophicam et reflexam convertatur [225]. Id autem fit ea illustrando, explicatione praesertim terminorum quibus constant. \* Haec enim principia, ait Suarez, quae in re non habent intrinsecum et quasi formale medium, quo illorum extrema connectuntur, per se cognoscuntur ex cognitione terminorum: unde nihil magis potest ad eorum cognitionem iuvare, quam scientifica et evidens notitia terminorum, seu ratio eorum. ( *Metaph.* D. 1. sect. 4. n. 20.)

### SECTIO VIII.

#### *De limitibus scientiae naturalis.*

421. **Necessitas tractationis.** — Priusquam has Logicae Institutiones absolvamus, agendum est de limitibus, intra quos scientiae naturales spatium queunt. Ab hac porro tractatione, tametsi sacrae theologiae confinia proxime attingat, minime abstinendum esse ducimus duplici de causa. Primo quidem, quia praesumptio est mater erroris, ac propterea, ne mens a recto veritatis tramite deerret etiam in iis quae eius captum minime excedunt, multum admodum refert, ut suam propriam agnoscat infirmitatem. Secundo, quia id necessarium est ad complementum doctrinae de scientiarum coordinatione et methodo in encyclopaedia christiana, nempe ut sciatur quae sit habitudo scientiarum naturalium respectu divinae revelationis in praesenti providentiae ordine. Quae porro huc referuntur, breviter aequae ac dilucidep extractat S. Thomas tum in 1. lib. *Cont. Gent.* (cc. 3 . . . 8), tum in egregio opusculo in libr. Boëtii *De Trinitate* (qq. 1. 2. 3.). Inde vero haec in rem nostram derivamus.

#### THESIS XXVII.

*Praeter veritates naturali lumine notas, aliae adsunt, quae humanae rationis captum simpliciter et per se supergrediuntur; quae propterea ex lumine naturalium principiorum intelligi aut demonstrari minime possunt.*

422. **Demonstratio.** — Dicitur veritas humanae

rationis captum excedere, ad quam cognoscendam mens humana naturalibus viribus freta nequit assurgere. Id porro contingit dupliciter. Primo modo *simpliciter*, cum videlicet mens inepta est ut hanc veritatem ex lumine primorum principiorum derivet, ei assensum adhibendo. Alio modo *secundum quid*; quod habetur cum veritas potest quidem ex lumine naturalium principiorum intelligi seu demonstrari sed absque perfecta comprehensione. Potest rursus id fieri vel *per se* vel *per accidens*. Per se quidem, ex ipsa videlicet improportione, quam snapte natura congenitum rationis lumen habet respectu huiusmodi veritatum. Per accidens vero, si talis impossibilitas enascatur ex accidentali impedimento, quod naturalium virium exercitium praepediat. Asserimus itaque, agnoscendum plane esse ordinem quemdam veritatum, quas humana mens per naturales vires cognoscere nullo modo potest, idque ex ipsa naturali sua infirmitate. Id porro sic demonstramus cum Angelico.

I. *A posteriori* ratio ducitur ex nostrae mentis infirmitate, quam quotidie experimur omnes, etiam in investigatione eorum, quae eius captum per se minime excedunt. "Rerum enim, ait S. Thomas, sensibilibus plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatem, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimae substantiae (h. e. divinae) transcendentis omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit. Huic etiam consonat dictum Philosophi, quod *intellectus noster sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vesperilionis ad solem.*" (1. *Cont. Gent.* c. 3.)

II. Confirmatur id *a priori*, nimirum ex ipsa natura humanae mentis. Ut enim ex *Metaphysica* suppono, naturalis nostra cognitio, tota quanta est, ex creaturis hauritur, tanquam ex medio obiectivo. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Quocirca de rebus divinis dumtaxat cognoscere possumus, cognitione naturali, pro eo quantum ex creaturarum contem-

platione innotescunt seu manifestantur. Atqui divina virtus in immensum superexcedit creaturas omnes: ex cognitione autem effectus, quantumvis comprehensiva, causae virtutem non adaequantis, minime possunt cognosci omnia intelligibilia quae perfectionem causae spectant. Ergo adesse debet ordo veritatum, ad quas cognoscendas suapte natura humana mens plane inepta dicenda est. Hoc modo probat S. Thomas divinarum Personarum distinctionem esse omnino prorsus supra captum rationis et investigationis naturalis (*Summa th.* 1. p. q. 32. a. 1.).

Aecedit praeterea ratio ducta ex gradibus intelligibilium hoc modo a S. Thoma. "Duorum, ait, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille cuius intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest; sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae: quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu, quam homo, quanto ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur naturali cognitione, est dignior rebus sensibilibus, et etiam ipsa anima, per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit. Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat, et ideo perfecte intelligit quid est, et omnia cognoscit quae de seipso intelligibilia sunt: non autem naturali cognitione angelus de Deo cognoscit quid est, quia et ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causae virtutem non adaequans. Unde non omnia, quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest: nec ad omnia, quae angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita et multo am-

plius nimiae stultitiae esset homo, si ea quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc quod ratione investigari non possunt. (1. *Cont. Gent.* c. 3.)

423. **Obiectio.** — Dices. Est proloquium communi calculo sapientum approbatum, quod intellectivae potentiae obiectum sit omnium universalissimum, nimirum *ens*, prout huiusmodi. Atqui nulla veritas inveniri potest, quae huius obiecti ambitu non comprehendatur.

Respondeo, effatum quod adducitur verissimum esse, sed intelligi oportere de obiecto non *proportionato*, sed *adaequato* dumtaxat. Obiectum porro dicitur proportionatum, quod respondet intellectui sua connaturali virtute operanti; et hoc modo Deus, prout in se est, solius divinae mentis obiectum esse potest; ac propterea dicitur *invisibilis*, quatenus naturaliter a nullo intellectu creato videri potest. Quocirca omnis naturalis cognitio, quae de divinis attributis haberi potest, ex creaturarum consideratione dumtaxat hauriri debet. Obiectum contra adaequatam dicitur respectu humani intellectus *absolute considerati*, facta videlicet praecisione tum a statu naturalis coniunctionis cum corpore, tum a connaturali modo agendi ipsius, prout videlicet operatur per vires connaturaliter ei debitas. Hac ratione verissime dicitur intellectus noster pro obiecto respicere ens, in quantum ens. Iam age, inde legitime consequitur cognitionem veritatis cuiuslibet, etiam superrationalis, non contrariari naturae intellectus, quem admodum ex. gr. adversatur naturae facultatis sensitivae cognitio rerum spiritualium; et hoc ultro fatemur, quin mox uberius ostendemus: sed non inde consequitur, naturalem investigationem humanae mentis ad cuiusque ordinis veritatem detegendam pertingere posse. Haec modo indicasse sufficiat: eorumdem quippe uberior declaratio alterius loci est.

THESIS XXVIII.

*Praedictae veritates superrationales possunt esse argumentum doctrinae, quae ex divina revelatione seu testificatione procedat. Fides porro huic revelationi adhibita rationi contraria minime dicenda est; quin immo eius investigationem et certissime dirigit, et efficacissime promovet.*

424. *Probatio I. partis.* — Manifestum est ex his praecedenti mentis nostrae vires esse plane impares ad praedictas veritates superrationales *inveniendas*. Exquirendum modo est, num via saltem *disciplinae* earundem cognitio a nobis obtineri queat, nimirum adhibendo fidem locutioni, quae haec veritates, divina interposita auctoritate, humano generi manifestentur. Id porro nulla ratione in dubium revocari potest. Ut enim manifestatio huiusmodi locum habeat, duo requiruntur ac sufficiunt. Primo, ut Deus humanam mentem sufficienter moveat ad has veritates aliqua ratione *apprehendendas*, per simplicem nimirum subiecti et praedicti conceptionem. Secundo, ut mens certior fieri possit de huiuscemodi conceptionis veritate, cognoscendo videlicet eam esse a Deo dictam seu testificatam. Atqui neutrum deficit in re praesenti. Primum quidem, quia ad simplicem apprehensionem subiecti et praedicti veritatum etiam superrationalium sufficienti notionis universales, quas naturaliter ex creaturarum consideratione abstrahimus. Sic ad concipiendum subiectum et praedictum in his veritatibus maxime superrationalibus; *Deus est unus in natura, trinus in personis*, vel *Jesus Nazareus est Deus-Homo*: plane sufficienti conceptus, quos habemus *Dei, naturae, personae, humanitatis, unitatis, numeri*, et similibus. Quare in hoc nulla est difficultas. Ad alterum vero quod spectat, nemo nisi insipientis potesta-

tem loquendi, h. e. mentem suam significandi [13], denegabit Deo, a quo est omnis potestas in ordine sive reali sive intellectivo. Si enim unusquisque nostrum id erga alterum praestat, quanto magis supremus atque omnipotens naturae auctor id praestare poterit? Atqui si semel innotuerit, Deum esse qui loquatur, naturali ratione manifestissimum est, vera essa quae loquitur, quantumvis rationis nostrae captum excedant. Deus enim est ipsa veritas, cui proinde omne falsum ac mendacium repugnat. Neque obstat altitudo rerum divinitus revelatarum.

Nam etsi recte inde colligitur, etiam supposita divina locutione, mentem nostram non posse *propriam rationem* percipere *cur* praedictum veritatis revelatae subiecto conveniat, id tamen minime prohibet, ut dictum est, quominus utriusque notionem, analogiam saltem, habeamus (1).

425. *Probatio II. partis.* — Propulsamus hic calumniam, quam increduli contra fidem praedictis veritatibus adhibitam inferre solent, traducentes eam ut rationi adversam et iniuriosam, quasi tantundem sit *supra ra-*

(1) Optime in hanc rem Taparellius sic deistas perstringit. \* Or se vi sono (misteri), perchè (Dio) non potrà rivelarli? Perché, dicesi, non ci rivelerebbe se non parole vuote di senso. Parole dunque vuote di senso sarà anche ogni mistero di natura: dunque quando il fisiologo dice *corpo arrivato dall'anima*; quando il fisico *moto comunicato*, ecc., non dicono, che vuote parole; giacchè non si sa come l'anima dia vita, l'impulso dia moto. Confondono i deisti la incomprendibilità del mistero colla incomprendibilità de' termini. Il villano, cui un matematico propone il teorema di Pitagora, non comprenderà *come* i due quadrati de' cateti eguagliano quello della ipotenuza. Ma capirà benissimo, che voglia dire *egualitare*, che voglia dire *quadrato*. Così quando a noi si propone il mistero della *Trinità*, se non perdiamo il lume in quel punto, sappiamo benissimo che sia *uno e tre*, che sia *natura e persona*, giacchè facciamo uso continuamente di queste voci. Solo ci riesce incomprendibile l'*unità di natura* associata colla *trinità delle persone*. Ma questa stessa incomprendibilità del mistero e le tante obiezioni, con cui i miscredenti lo combattono, mostrano che essi comprendono i vocaboli; altrimenti di che ci parlano, quando si argomentano a dimostrarlo impossibile? - (*Saggio teoretico di diritto naturale*, Dissert. 1. c. 9. n. 240).

tionem ac contra rationem esse. Asserimus proinde non modo id esse plane falsum, quin immo eiusdem rationis naturali investigationi tuendae et promovendae multum admodum prodesse ut eiusmodi veritatibus fides adiungatur. Id porro sic declaramus cum Aquinate.

I. Ac primo quidem, id naturali rationi minime esse contrarium, sic dilucide et eleganter ostendit S. Thomas. \* Illud idem, ait, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat fide; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principis huiusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali rationi esse contraria. » (1. *Cont. Gent.* c. 7.) Hinc manifeste colligitur, impossibile plane esse, ut argumentatio ulla, quae vere demonstrativa sit, contra veritates divinitus revelatas urgeatur, sed semper ostendi poterit eam minime concludere, vel quia tanquam principium evidens assumit quod tale non est, vel quia tanquam divinitus revelatum obtrudit id quod non est nisi mera quorundam opinio, vel denique propterea quia legitimae consequentiae leges negliguntur. \* Cum enim, ait rursus S. Thomas, fides infallibili veritati imitatur, impossibile autem sit de verum demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes sed solubilia argumenta. » (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 8.)

II. Quod vero ex tali fide mens nostra emolumentum potius accipiat sive ad errorem vitandum, sive ad verum capessendum, triplici ratione sic demonstrat idem Angelicus Doctor.

\* Est necessarium, ait, huiusmodi veritatem, (quae ratione investigari non potest), ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem viorem habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homi-

nibus possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra ostensum est. Per hoc ergo quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest.

\* Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet praesumptionis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet totum esse verum quod eis videtur, et falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum eius excederent.

\* Apparet etiam alia utilitas ex dictis Philosophi in 10. *Ethic.* c. 7. Cum enim Simonides euidam homini praetermittendam divinam cognitionem persuaderet, et humanis rebus ingenium applicandum, oportere inquires humana sapere hominem, et mortalia mortalem; contra eum Philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia et divina trahere quantum potest. Unde in lib. 1. *De Animalibus*, c. 5. dicit, quod quamvis parum sit, quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum et desideratum omni cognitione, quam de substantiis inferioribus habemus. Dicit etiam in 2. *Coeli et Mundi* (text. 34.), quod cum de corporibus coelestibus quaestiones possint solvi parva et topica solutione, contingit auditori quod vehementer sit gaudium eius. Ex quibus omnibus apparet, quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert. Et ideo, quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum perfectionis sibi adquiret, si saltem ea qualitercumque teneat fide. » (1. *Cont. Gent.* c. 5.)

THESIS XXIX.

*Saluberrimo plane consilio divina clementia providit, ut ea etiam, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, divina fide credenda praeceperet, quo videlicet in praesenti quoque humani generis conditione ab omnibus expedita, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint.*

426. *Demonstratio.*— Placet in propositae veritatis confirmationem integram demonstrationem exscribere, quam Angelicus Doctor tradit in 1. libro *Cont. Gent.* c. 4. Nihil enim excogitari potest vel lucidius ad percipiendum vel efficacius ad convincendum. Loquens itaque l. c. de veritate divinorum intelligibilium, quae inquisitioni rationis pervia esse potest, sic ait.

\* Sequerentur tria inconvenientia, si huius veritas solo humido rationi inquirenda relinqueretur.

\* Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem impediuntur propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. Quidam autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, cum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter

quod Metaphysica, quae circa divina versatur, inter philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cuius tamen meritibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

\* Secundum inconveniens est, quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter huiusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quae praerogantur, ut dictum est; tum propter hoc, quod tempore iuventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in *7. Physic.* (tex. 20). Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret in maximae ignorantiae tenebris; quum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.

\* Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immisceatur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.

\* Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeceperet; *ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore.* Huc usque Angelicus.

427. *Corollarium.* — **Sacrae Theologiae primatus respectu Philosophiae Christianae.** — Ex dictis manifeste consequitur, Philosophiam naturalem atque ipsam Metaphysicam, in praesenti ordine divinae providentiae, sacrae Theologiae merito subdi, quippe quae de rebus divinis ratiocinatur ex principiis divinitus revelatis. Rectus enim ordo postulat, ut supremum gradum in cognitione doctrinae illi adiudicemus, quae et dignior est in ratione cognitionis, et ad praestantiorum finem ordinatur. Atqui utrumque convenit sacrae Theologiae respectu omnium scientiarum naturalium. Primum quidem, quia non modo versatur circa praestantissimum obiectum, cum principaliter sit de his quae sua altitudine rationem transcendunt; sed lumine etiam utitur altiore, videlicet lumine divinae revelationis, quae firmior est et infallibilior quavis evidentiâ naturali. Alterum vero, quia sacrae Theologiae finis est beatitudo aeterna, ad quam tota vita hominis, ac propterea scientiae omnes, tamquam ad finem ultimum ordinari debent. Ita fere S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 5.). Patet autem hanc subiectionem minime debere sic intelligi, quasi sermo esset de subalternatione proprii nominis, quippe hoc tantumdem esset ac traditionalium errori [286, seqq.] assentiri ac philosophiam omnem de medio auferre: sed eo modo quo S. Thomas exponit in opusculo cit. in libro Boëthii *De Trinitate*. \* Dona gratiarum, ait, hoc modo naturae adduntur, quod eam non tollunt, sed magis perficiunt. Unde et lumen fidei, quod nobis gratis infunditur, non destruit lumen naturalis cognitionis nobis naturaliter inditum... Sed magis, cum in imperfectis inveniat aliquam imitatio perfectorum, quamvis imperfecta; in his, quae per naturalem rationem cognoscuntur, sunt quaedam similitudines eorum, quae per fidem tradita sunt. Sicut autem sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis... Sic in sacra doctrina philosophia possumus tripliciter uti. Primo, ad demonstrandum ea, quae sunt praecambula fidei, quae necessaria sunt in fidei scientia, ut ea quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse unum,

et huiusmodi de Deo et de creaturis in philosophia probata, quae fides supponit. Secundo, ad notificandum per aliquas similitudines ea, quae sunt fidei, sicut Augustinus in libris *De Trinitate* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandum Trinitatem. Tertio, ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria. Tamen utentes philosophia in sacra Scriptura possunt dupliciter errare. Uno modo, utendo his, quae sunt contra fidem, quae non sunt philosophiae, sed potius error vel abusus eius, sicut Origenes fecit. Alio modo, ut ea, quae sunt fidei, includantur sub metis philosophiae; ut si nihil aliquis credere velit, nisi quod per philosophiam haberi potest, cum e converso philosophia sit ad metas fidei redigenda, secundum illud Apostoli, 2. Cor. X. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*, (q. 2. a. 3.) Confer etiam quae Vaticana Synodus hac in re definit in Const. Dogm. *Dei Filii*, c. 4.; nec non Encyclicam *Aeterni Patris*, d. 4. Augusti 1879, ubi quae indicavimus uberrime explicata invenies.